



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 1. Aliorum explicationes

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

cedit tamen tunc actus externus iustitiæ completus, nempe redditio 100. neque enim ultra hoc externum, ullum aliud externum, iustitiæ liter exigi potest. Unde in creditore extinguatur omne jus exigivum alicujus externi. Si tamen sciret non habuisse illum actum internum iustitiæ, non quidem in foro litigioso, quod non nisi ad externa attendit, in foro tamen, ut ita dicam, interno, habet jus exprobandi, quod dederit quidem, sed non tanquam restitutor; nec animo, qui probum restitutorem deceret. Si autem ponat illam dationem, illumque actum externum redditionis centum ex motivo iustitiæ, etiam si conjungat illum actum cum alio motivo in honesto, faciet adhuc moraliter actum virtutis, & sub illa formalitate, bonum. Ratio, quia quamvis Physicè ille actus ab utroque motivo dependeat; moraliter tamen duplex est, & pro illa parte morali, nihil illi deest ad rationem virtutis: nam motivum aliud spectat ad aliam partem moralem, aliudque actum moraliter: quia tamen actus bonus debet esse ex integrâ causâ; ideo non potest dici absolute bonus.

Quod ipsum ulterius sic explanatur, est quæ ad multas alias materias in simili, etiam intentiones Sacramentorum transferendum. Quando aliquis ex motivo occisionis, & ex motivo honestatis iustitiæ reddit centum, dupliciter se in hoc habere potest. Primo, ut intercedat virtualis refutatio interna motivi v.g. honestatis iustitiæ, quasi dicat, volo dare centum, titulo restitutionis: quem ipsum titulum nolle, nisi ut occidam; talisque non facit actum virtutis iustitiæ: quia assumptum titulum refutat rejicitque; proponitque, illum sibi, ut refutet. Secundo, potest se in hoc habere ita; ut motivum utrumque assumat; neutrum refutando, & eo casu, ut dictum in superioribus, eliciet etiam actum iustitiæ, licet non denominabilem simpliciter virtuosum. Et licet, nullus actus virtutis moralis moveatur motivo turpi, casu, quo simul non conjungatur motivum honestum; adeoque motivo turpi præcise; potest tamen moveri motivo, conjuncto, cum alio motivo turpi.

Unde, ulterius inferes; casu, quo gladius restituitur furioso id exigenti, fit tunc actus completus iustitiæ externus, non tamen fit actus iustitiæ virtutis internus: quia tunc legitime non exigitur illa restitutio: sunt enim circumstantiæ illegitimantes exigentiam. Deinde, quia actus virtutis iustitiæ infundatur supra rationem actus virtutis genericam, quæ hic non habetur: quia actus virtutis, præcipit secundum dictamen recte rationis fieri, quod potius vetat furioso reddi gladium.

Directè ergo ad Objectionem dici potest. Negando Antecedens. Et Probationem illius, distinguendo, quod talis ponat æqualitatem, & non ponat actum iustitiæ, secundum quod movetur motivo illo in honesto concedo: Secun-

dum quod movetur motivo honesto. Nego Majorem. Adde per nos non æqualitatem utrumque; sed honestatem æqualitatis, esse formale iustitiæ, quæ si non habeatur, quid mirum si non erit actus iustitiæ?

DIFFICULTAS III.

De medio intento à iustitia.

OMne æquale, est medium. Posito ergo, quod iustitia attendat ad æqualitatem, attendet ad medium. Quod, quantum ad præsens, duplex cogitari potest; quoddam medium rei; & aliud medium Rationis. Explicandum hoc erit.

Punctum Difficultatis 1.

Quid per alios medium rei?

EXPLICAT I. quidam. Ponitque imprimis, virtutem in mediocritate tripliciter consistere. Objectivè, causaliter, & formaliter. Objectivè in mediocritate consistere dicitur, quatenus requirit in objecto suo medium, inter excessum & defectum; ut fortitudo medium inter audaciam & timorem. Iustitia inter plus & minus dati & accepti. Causaliter virtus in mediocritate consistit, quatenus, medium à ratione præscriptum, ponit in objecto suo, seu materia sua per actus suos, quo modo Temperantia ponit medium à ratione præscriptum in sumptione cibi & potus. Formaliter denique quatenus ipsa virtus est forma media inter duo vitia, seu inter duo extrema vitiosa, quorum unus peccat per excessum, alter per defectum.

Ponit deinde, non in quibusvis virtutibus triplicem hanc mediocritatem inveniri; sed in aliquibus omnes, in aliis autem, esto prima & secunda reperiatur, non tamen datur tertia. Sic in fortitudine dantur omnes tres mediocritates: habet enim in objecto suo medium inter excessum & defectum, & ipsum ratione prudenter indagat, ac definit; estque simul forma inter duo extrema vitiosa, timorem & audaciam. Castitas verò, esto primam & secundam mediocritatem habeat, caret tamen tertia: non est enim forma inter duo extrema vitiosa: sed quoties contra castitatem delinquitur, per solum defectum peccatur, recedendo ab obligatione. Sic contra castitatem conjugalem per solum defectum peccatur, puta per copulam, non cum sua, non autem per excessum, servando non solum conjugalem castitatem, sed ab omni prorsus copula, etiam licita, abstinendo. Contra etiam virtutem jejunii Ecclesiastici per solum defectum delinquitur; bis nimirum in die comedendo; non verò ab omni prorsus refectioe abstinendo.

Ponit

R. P.
TH. MLOD
IA DOWSKI
Tom 3. et 4.
D. VI
G

Ponit denique, in iis virtutibus, quæ non sunt forma mediocritatis inter duo extrema vitiosa, excessum non esse vitium, saltem eidem virtuti oppositum. Sed aliquando est virtus, aliquando ratione circumstantiarum vitium, sed alteri virtuti contrarium. Sic excessus castitatis conjugalis, dum aliquis non solum à copula illicita, sed servanda virginitatem etiam à licita, & cum sua abstinere, non est vitium contra castitatem. Sed si fiat cum consensu utriusque partis, est virtus castitatis, & quidem excellentis. Quod si fiat altera parte invita, vitium quidem est contra iustitiam, non contra castitatem; idque variis aliis instantiis illustrabat. Hisque positis. Dicebat rationis medium non ideò dici, quod sit ens merè confictum à Ratione; verum ideò, quod, esto à parte rei in objecto sit definitum, & determinatum, ipsius tamen definitio & determinatio, non sine singulari rationis scrutinio, & indagine invenitur. Sic Temperantia dicitur habere medium Rationis, non quod illud sit à ratione confictum: datur enim à parte rei in sumptione cibi & potus certa & determinata mensura, respectu cuiuslibet hominis in particulari. Unde si quærat, cur ratio definiat tantum v.g. cibum, hic & nunc? sufficere, rectè respondebitur: quia Petro in talibus circumstantiis posito, neque plus neque minus est sufficiens. Sed dicitur Temperantia habere medium Rationis, quia illud difficile invenitur: E contra, medium rei non ideò dicitur, quod tantum sit à parte rei, & nullo modo medium rationis; seu quod à ratione prorsus non debeat attingi, & proponi. Sed propterea, quod, etsi ab intellectu proponi debeat, non tamen indiget peculiari scrutinio, & indagine. *Ha Positiones & Explicatio.*

NON SATISFACIT 1. Quoad doctrinas circa ipsammet iustitiam. Nego enim universaliter, iustitiam non esse formam mediocritatis inter duo extrema vitiosa. Tum quia, accipere plus quam debeat tibi v.g. faciendo occultam recompensationem, & accipiendo decem cum tibi debeat quinque, & postea reddendo, v.g. tria tantum. Certè sunt hæc duo extrema vitiosa: plus enim & minus semper sunt extrema, Ly autem, plus quam deberes, & minus quam deberes, cum disordinationem ad debitum fundent, hoc ipso fundant rationem vitii, quod semper procedit contra debitum operandi modum. Iustitia inter hoc mediat. Ergo est forma inter duo extrema vitiosa. Tum quia. Præstantissima inter species iustitiæ est iustitia Legalis: hæc etiam versatur inter duo extrema vitiosa: Nam ponere taxam rerum; pertinet ad iustitiam Legalem, ponatur excessus taxæ, erit contra iustitiam, diminuens fortunam eumentium; ponatur defectus in taxa, minus taxando, quam res exigit, defectus erit contra iustitiam diminuens fortunam venden-

tium. Mediat inter hæc iustitia Legalis. Ergo, apparet, quod sit forma mediocritatis, inter duo extrema vitiosa. Tum quia, Concedo quidem, non in omni actu iustitiæ reperiri hoc, ut illa sit forma mediocritatis inter duo extrema vitiosa: non raro enim solo nonnisi defectu, seu per minus peccatur; & ita non peccat contra iustitiam, qui debens centum, reddit centum decem: sed inde non sequitur, quod saltè interdum iustitia non sit forma mediocritatis inter duo extrema vitiosa, ex quo sequitur, quod non esse illam talem formam, non sit ratio illius adæquata formalis, & in omnibus actibus necessario reperibilis. Tum quia. Exempla, quæ adfert pro sua sententia, non convincunt. Primum exemplum est. Si venditor ratione equi appetitabilis pro centum accipiat sciens & volens nonnisi 80. non peccat contra iustitiam. Ergo, iustitia non est forma inter duo extrema vitiosa, sed contra illam delinquitur solum per defectum. Quod exemplum non facit pro intento: Nam, imprimis, si contra iustitiam defectu seu per minus peccatur, hic aperte est minus. Ergo, peccari tunc contra iustitiam deberet vi huius doctrinæ. Deinde, non potest, statui certa regula, quomodo se, & ad quid iustitia habeat, si recuratur ad conditionem sciens, & volentis. Quod ipsum probatur. Quia sicut non fit injuria, si sciens & volens pro centum accipiat 80. sic nec est injuria, si sciens & volens pro centum, det ducenta. Secundum exemplum est. Si quis debeat duobus centum, & uni det ducenta, per hocque se reddat ad reddendum alteri impotentem, peccat tunc contra liberalitatem, eò quod gratis superaddat, quod non deberet superaddere; contra iustitiam autem nonnisi per defectum, quatenus alteri creditori non restituit, quod illi debet. Hoc exemplum commodius quidem est ad intentum arguentis, sed habet in hoc difficultatem: quia Physica, moraliter loquendo, non redditio illa, perficitur, illa datione ultra sortem; Ergo, moraliter loquendo, illa datione peccatur contra iustitiam. Tum quia. Ratio, quam explicans ponit pro hac positione, est contra illud. Sic enim assumit; contra iustitiam solum delinquitur per defectum restituendo minus vel auferendo plus quam debetur. Hæc autem assumptio est contra illud, quomodo enim auferre plus quam debetur, est defectus? cum non sit minus sed plus; nisi forte dicas hunc esse defectum moralem, qui contingit etiam in illis, in quibus nonnisi per plus peccatur.

NON SATISFACIT 2. Quoad doctrinas circa alias virtutes. Tum quia. Nego timorem sine addito, itemque audaciam esse extrema vitiosa, inter quæ procedat fortitudo. Sed sunt passionibus indifferentes ad esse bonas & non esse malas, cum tamen explicans, sine addito ponat timo-

timorem, & audaciam pro extremis vitiosis. Tum quia, non apparet, qui non peccatur contra castitatem conjugalem, etiam excessu, hoc est, utendo aliena: videtur enim hoc spectare ad lineam pluris. Tum quia. Concedo quidem admisisse Arist. mediocritatem in virtutibus, sed non petibilem à mediatione inter duo extrema sepius mala; ait enim 2. Eth. c. 6. *Nonnulli enim sunt affectus, qui statim vel ipso nomine cum pravitate implicantur, ut malevolentia & invidia, & item actiones, ut adulterium, furtum, &c. Omnia cum hac & huiusmodi appellantur: quia non excessus ipsorum aut defectus, sed ipsa mala sunt. Vi nullo modo possit quisquam in ipsis rectè agere, sed peccare semper necesse sit.* Cujus rationem his formalibus subdit. *Nam hoc modo exsuperationis & defectus mediocritas exsuperationis item exsuperationis, & defectus defectio inveniretur.* Et tamen, sine ullo addito, explicans appellat mediocritatem formalem, stare in mediocritate inter duo extrema vitiosa.

NON SATISFACIT 3. Tum quia, hæc explicatio, est contra communem acceptionem harum vocum, Medium rei, & Medium rationis: Nam imprimis Arist. non ex facilitate, vel difficultate indaginis scrutiniq; hæc duo discernit: nam Medium rei, accipit per ordinem ad hoc, quod sit unum idemque omnibus: contra, Medium rationis, Medium non unum idemque omnibus. Ipse etiam S. Thomas citatus in corpore, Medium Rationis dicit, non accipi secundum proportionem unius rei ad alteram, sed solum secundum comparisonem ad ipsum virtuosum; cum tamen Medium justitiæ h. e. Medium rei, consistat in quadam proportionis æqualitate, rei exterioris, ad personam exteriorem. Insistens horum auctoritati Molina t. 1. d. 3. col. 8. definit Medium Rationis, quod sumatur per comparisonem ad agentem. Medium autem rei sumitur ex natura rei collatione facta cum altero. Similia habet Tann. d. 4. q. 2. n. 48. Rayn. L. 1. de Virt. Mor. in partic. f. 1. n. 19. Et ex allatis vides, quod prædicti Auctores Medium rei, non per facilitatem indaginis explicant, sed, quod idem sit omnibus, & non per ordinem ad operantem desumatur. Medium etiam rationis non explicant per difficultatem indaginis, sed quod non idem sit omnibus, per ordinemque ad operantem & circumstantias desumatur. Tum quia. Saltem nobilissima species justitiæ legalis h. e. distributiva, non foret justitia: quia proportio meriti & præmi in nullo modo de facili est indagabilis: imò si simile quid accidit, dum inconfuso scitur, non possit reddi hic & nunc totum, quantum autem hic & nunc in circumstantia talis reddentis tam mihi vel tam commodè habentis creditoris, &c. similibus circumstantiis, quantum, inquam, hic & nunc teneatur reddere, facile non indagatur. Tum quia; sequeretur quod prudentia

saltem partialiter spectata, sit justitia: quia ad prudentiam spectant tam faciles, quam difficiles indagines rerum, adeoque media difficulter & faciliter indagabilia.

EXPLICAT 2. Esparza q. 9. ponitque, Medium rei coincidere cum triplici æqualitate intenta à justitia, solumque differre per diversos comparisonum modos ad terminos relatè, ad quos eadem res consideratur. Porro æqualitas prima, quam intendit justitia, est æqualitas proportionis inter jura cujusq; & res pertinentes ad ipsum, ut scilicet: sicut se habent jura unius ad jura alterius, ita omnino se habeant res unius, ad res alterius, terminantes eadem jura. Ratio, quia impossibile est, ut habeat, quod suum est, cujus res magis excederentur à rebus alterius, quam jura ejusdem à juribus alterius, & è converso. Secunda æqualitas inter datum & acceptum per contractum; vel quasi contractum sive voluntarium sive involuntarium. Ratio, quia si duo habeant 8. & alter eorum dans tantum duo, accipiat 4. ex æqualibus fiunt inæquales adversus justitiæ Leges. Tertia æqualitas est formalis, per conformitatem ad leges, & conventiones hominum, omnibus & singulis hominibus æquales. De quo ipso notat, lege & conventionem, omnino æquali formaliter, respectu duorum, posse suboriri inæqualitatem materiale inter eosdem; & ita fit in conventionem fortis, in qua æqualis est uterque contrahens, æqualiter se exponens periculo, & spei; eventus tamen est necessarius inæqualis favens uni, adversus alteri. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT plenè. Tum quia; ita esset explicandum Medium rei, ut simul advertatur illius differentia à Medio rationis, quod non facit dicta explicatio. Addit quidem rationem, cur attendat ad Medium rei, justitia. Deinde, quod medium rationis in indivisibili non consistat. Sed hic conceptus non est primo definitivus medii rationis. Tum quia. Si potest, ut revera potest, dari formalis æqualitas sine æqualitate materiali, explicandum venisset, cur non reguletur tunc in sua æqualitate, idq; ultimo, justitia, per Medium rationis? Tum quia. Doctrina, quam in processu usurpat Esparza, quod scil. objectum justitiæ, consistat in medio inter duo extrema vitiosa, non tamen inter duos habitus vitiosos, ubi pronuntiat universaliter, alias virtutes morales esse etiam medias formaliter inter duo vitia, id etiam non convincit. Nam non apparet quo modo castitas conjugalis, quæ est virtus moralis, sit etiam media inter duos habitus vitiosos: imò & ipsa virginitas. Deinde, sicut hoc extremum vitiosum, quod est contra justitiæ legalem, taxare plus quam æquum, & minus quam æquum, sunt separabilia & distincta; ita & habitus

eorundem. Cur ergo saltem tunc non erit iustitia media virtus inter duos habitus vitiosos? Insuper, Ratio, quam pro hoc suo assumpto ponit Esparza, non convincit: quando enim dicit, quod eo habitu, quo aliquis causa est, ut ipse plus habeat, quam deberet habere, eadem est causa, quod alius minus habeat, id non convincit: quia licet id verum sit pro aliquo casu, falsum pro alio, secundum adlatam instantiam de iustitia legali. Nam Actus ille præcisè taxandi, est injuriosus, & taxans facit quidem minus habere mercatorem, sed ipse nihil plus per hoc acquirit, nisi acta emat, secundum taxam à se factam, qui actus, est quidem lucrativus sed distinctus ab actu taxandi, qui secundum se, est tunc injustus.

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Medium rei.

EXPLICATUR 1. Fundamento habito in 2. Eth. c. 6. In omni re in indivisibili non consistente, potest accipi plus, minus & æquale: si enim hæc non possunt accipi, ex eo ipso sequitur, rem illā consistere in indivisibili, hoc ipsum autem, quod est accipere posse minus, plus, æquale, vel est in re, vel in ordine ad nos, adeoque medium seu medioere, erit medium inter excessum, & defectum, vel in re, vel in ordine ad nos. *Ad medium quidem rei, id duo, inquit Aristoteles, quod ab utroque extremo æquè distat, est quæ unum & idem omnibus.* Et sic v. g. 5. & 5. in 10. medium sunt; est enim medium inter plus, quod est 6. & 4. quod est minus. Sed ad præsens commodius exemplum ponit Aristoteles, si decem plura sunt & duo pauca, sex medium accipiunt, quantum ad rem quippe quo ex eo & superent & superentur. Sicut enim 6. superat per 4. duo, ita ipsum sex superatur per quatuor à decem. Aliud autem medium appellat quantum ad nos, & hoc dicit esse non unum idemque omnibus; hocque sic exemplificat, quia si alicui 10. minas comedere multum est, & duas parum, non hoc ipso sequitur, quod medium respectu illius sint 6. minæ, quas illi possit ordinare quisquā comedendas: fieri enim potest, quod sumptum hoc vel nimium sit, vel parum, & ita parum erit robusto alicui, multum autem ei, qui aliquam exercitationem iniecit, sobrietate indigentem. Quæ omnia sic complectitur Arist. verba textus sunt: *Non enim si alicui 10. minas comedere multum est, dicas parum, 6. ei Ludimagister comedendas præcipiet. Nam fortasse id quod, ei, si sumpturus sit, erit vel nimium vel parum. Miloni quidem parum, nimium autem ei, qui exercitationem incipiat.* Quod si quæras præcisam definitionem Medii, quoad nos, definit ibidem Arist. quod sit mediocritas ratione præfinita, seu ut superius loquitur, *quando oportet, & ob quæ, &*

erga quos, & cujus causa, & ut oportet, hæc facere. Medium autem rei est, Medium secundum rem, seu id, quod in rebus neque superat, ut excessus, nec deficit, ut defectus.

EXPLICATUR 2. habito fundamento in 5. Eth. c. 3. & 4. & in S. Thoma ibidem in tex. Lect. 4. 5. & c. Et ut id fiat.

PRÆMITTO 1. *Quod injustus & iniquus, injustum item & iniquum idem sint in moralibus, seu ut loquitur Arist.* Injuria iniqua est, proceduntque secundum plus & minus. In quibus autem est plus & minus, illic reperitur & æquale: æquale enim est medium inter plus & minus: Si enim excessum pluri addas ad minus, æqualia erunt, hæcque æqualitas nihil aliud erit, nisi medium inter plus & minus, faciens, scilicet ne hoc sit plus, nec illud minus. Quod si æquale & medium, idem sunt, in quibus erit reperire æquale, in illis erit reperire & medium: quia verò, ut dictum est, injustum est inæquale, & justum æquale; sicut in æquali seu iusto, reperitur æqualitas, ita in iusto, & iustitia, reperietur medium, quod scilicet deiciat ab excessu plus, & dicit illud minus, ut se cōæquet ad illud plus.

PRÆMITTO 2. *Omne justum & æquale ac medium, esse secundum aliquam proportionem.* Unde dicit Arist. Jus igitur quiddam est, quod in proportionem consistit. Rationemque dat: quia sicut proportio necessario numerum requirit, unde dicit: *Quod enim proportione constat, id non tam unitario numero, quam numero in unum versum proprium est: ita & iustitia, non est unius & ad unum, sed ad alterum.* Unde dixit Arist. ibidem cap. 3. *æquum in minimis duobus est.* Quasi dicat, ad minimum iustitia, inter duo commutationis extrema est, licet hæc duo minima inferius subdividat. Quamvis autem justum medium & æquale idem sint, & omnia secundum aliquam proportionem; condistinguiendæ tamen hæc sunt formalitates, ita ut justum sit, quia est per respectum ad alterum, reddendo ei quod suum est; æquale autem, in quantum est in commensuratis rebus, vel quasi rebus, secundum quas attenditur æqualitas inter duas personas. Medium autem in quantum procedit inter duo, quæ sunt plus & minus.

PRÆMITTO 3. *Si justum & medium procedit, secundum aliquam proportionem, quotuplex erit proportio totuplex erit & medium, justumque.* Porro ipsa proportio, quam ut sic definit Arist. Lib. 5. cap. 3. quod sit *æqualitas rationum.* Dividitur in proportionem proportionalitatis, & in proportionem simpliciter. Proportio proportionalitatis nihil aliud est, quam æqualitas proportionis; cum scilicet æqualem proportionem habet hoc ad hoc, & illud ad illud. Proportio autem simpliciter, nihil aliud est, quam habitudo unius quantitatis ad aliam. Rursus proportionalitas dividitur ab Arist. & S. Thoma in proportionalitatem disjunctam & continuam. Disjuncta quidem